AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA, MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. FEBRVARII

M. CLAVDIO FAVVELETIO PRÆCENTORE SENONENSI DOCTORE MEDICO MODERATORE.


An omni hepatico fluxui astringentia?



HEPATIS temperiem debita qualitatum συμμετρία importat, vnde omnes ad αἱματώσιν actiones debitæ: ἀμετρία verò primaria & propria visceris, vel consentientium, illi partium imbecillitatem, parentem insolitarum excretionum. E quibus spontaneæ plures, κρίσιμαι quotquot salutares; & ex morbo infestæ non paucæ efficiuntur δυσεντερίαι ciborum auersione non deteriores. Illas nusquam, has verò ad initia restringere haud decet: Immò nec in progressu, dum obstructionem priùs curanda agnoscunt.



ILLVC spectant mutilatorum, ad vitam molliorem reuocatorum, hæmorrhoidum, & muliebrium suppressorum, etiam post septem annos ad naturam rediturǽ per sedem ἐκκρίσεις, puri ferè sanguinis, licet ἀθρόως manantis, non sistendæ. Istuc morâ acris, fœtidi nigri vtiliter per ima hepatis expultrice decliues, quibus pestilentiales aut acuti morbi hydropis forti superueniente diarrhœa non exitiosi efficaces iudicantur. Huc autem hepatiformes, virulentæ, fœtidæ putrefactionis soboles, & aqueæ ἀτονίας.



QVI atrabilaria in ægri perniciem visenda, melancholica, biliosa, chylosa aliterátque aliter adscribuntur. Verùm & obstructionis astringentibus inexpugnabilis assecle, haud quaquam separabiles sunt quin aut tumor vnquampiam, excepto œdemate, vt erysipelas vel phlegmonem indecenti astringentium vsu in scirrhum medico insolubilem degeneres, vel ipsum, vel humorem crassum, lentum, aut viscidum dictæ obstructionis seminariũ summoueris. Non ex arte summouendum ei, quem forma & situs visceris fugerit.



SIMAM enim ventriculo, lactibus, intestinis, lieni, non tamen in omnibus affectibus consentientem occupanti (quod chyli vitio, αἱματώσει non emendãdo, vt nec huius ὁμοιώσει sæpius euenit) à vena secta nullũ obstructioni præsidiũ: sed vt spleni ab ecphracticis, qualis securidaca, chelydoniũ maius, pentaphyllon, tormẽtilla, philix mas, betonica, agrimonia: Ac purgantibus trahẽdo remediis, vt agarico, ad pituitam: Epithymo, senna, polypodio ad melancholiã: ad bilem, rhabarbaro: alioquin hepati iniquo. Item citatis, melius hirudine, quàm scalpello, aut ex cæpa cataplasmate hæmorrhoidibus, suo fluxu aut retentione immoderata, hepatis non innoxij hydropem, vel phthisin, fluxu lethalem inducentibus.



CONVEXÆ autem partis manifestę, spirandi difficultate. Ex motu, anhelitu condolentis pulmonis hepati: vt pulmoni inflammato hepar compatitur per fluxum non periculosè superuenientem. Hypochondrij duritie, futuro ante septimum diem febris, non infesta ictero hepatis modò, modò lienis, modò vtriusque simul, ac venenatorum noxę sequaci. Tum flatus tẽsione in hypochondrio, auctore doloris, quem febris superueniẽs elidit: διουρητικά τε καὶ λιθοντριπτικά auxilia discutiunt obstructionem per vias vrinæ: vnde cruenta, nigra, sanguinea, fœtida, biliosa, δυσώδης, vna eadémque securitati & exitio frequentatur.

Non ergo omni hepatico fluxui astringentia.

Proponebat IOANNES PERRINVS DE PERRINIS TVLLENSIS LOTHARENÆ. Anno 1600.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Germanus Clerselier.	*M. Hieronymus Taquet.*	*M. Ægidius Heron.*
M. Robertus le Secq.	*M. Symon Bazin.*	*M. Ioannes Beauchesne.*
M. Richardus Marces.	*M. Claudius Boyuin.*	*M. Ioannes Riolan.*